SYNOPSIS VITAE AC MORTIS P. IACOBI SALESII, ET GUILLELMI SALTAMOCHII E...

Digitized by Google

NAZIONALE VITT. EMANUELE
14
21 B
3

M

Ex Bibliotheca
majori Coll. Rom.
Societ. Jesu

T. 339
6

1
6
D

SYNOPSIS VITÆ AC MORTIS P. IACOBI SALESII, ET GVILLELMI SALTAMOCHII E' SOCIETATE IESV,

Qui ab Hæreticis Albenaci in odium fidei interempti ſunt ſeptimo Februar. an. M. D. XCIII.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

BIBL. SEC. COL. ROM. SOC. IESV

PARISIIS,
E Typographia EDMVNDI MARTINI, viâ Iacobæâ, ſub Sole aureo.

M. DC. LVIII.
CVM APPROBATIONE.

APPROBATIO.

NOs Alexander de Hodencq è ſacra Theologiæ Facultate Pariſienſi Doctor ac Socius Sorbonicus, ſancti Seuerini Archipreſbyter, Regi à Conſiliis, & Eminentiſſimi D. D. Cardinalis de Retz Archiepiſcopi Pariſienſis Vicarius Generalis, libellum hunc cui titulus eſt, *Synopſis vitæ ac mortis* Iacobi Salesii, *&* Gvillelmi Saltamochii &c. legi & perlegi curauimus: nihil ad nos perlatum animaduerſioni obnoxium, nihil quod à fide Catholica & Chriſtianis moribus abhorreat, aut piorum auribus offenſioni eſſe poſſit. Vti igitur de beatitate eorum quorum acta deſcribuntur nihil præiudicamus, ita nec de virtutum commendatione quâ viri de Religione benemeriti apud noſtrates floruerunt, & felici exitu conſummarunt, quidquam detractum eſſe voluimus; vt ſalua ſit in omnibus debita decretis Sedis Apoſtolicæ in proteſtatione auctoris ad calcem operis aſcripta commemoratis reuerentia, nec pietas publica noſtro hac in parte officio defraudetur. Ne igitur diuinorum facinorum, quæ reuelare & confiteri honorificum, memoria oblitteretur, ſynopſim hanc Latino idiomate conſcriptam prælo committi ac vulgari auctoritate quâ fungimur, permittimus ac communimus. Datum Pariſiis in Archipreſbyterio noſtro, die 27. menſis Auguſti anni 1658.

Sic ſignatum, A. de Hodencq.

PROTESTATIO.

Cvm Sanctiſſimus Dominus Vrbanus VIII. decreuerit vt non admittantur Elogia Sancti vel Beati abſolutè & quæ cadunt ſuper perſonam; bene tamen ea quæ cadunt ſupra mores & opinionem, cum proteſtatione in principio, quòd iis nulla adſit authoritas ab Eccleſia Romana, ſed fides tantùm ſit penes authorem. Huic decreto ea qua par eſt obſeruantia & reuerentia inſiſtendo, profiteor me haud alio ſenſu accipere aut accipi ab vllo velle, quidquid in hac vita refero, quàm quo ea ſolent quæ humanâ dumtaxat authoritate, non autem diuinâ Catholicæ Romanæ Eccleſiæ, aut Sanctæ Sedis Apoſtolicæ nituntur.

SYNOPSIS
VITÆ AC MORTIS PATRIS IACOBI SALESII ET GVILLELMI SALTAMOCHII È SOCIETATE IESV,

Qui ab Hæreticis Albenaci in odium fidei interempti ſunt ſeptimo Februar. an. 1593.

CAPVT I.

Ortus & natales Patris Saleſij, & quam vitam egerit, antequam in Societatem admitteretur.

ARVERNA Lemane cùm ſoli ac cæli felicitate Sidonio Aruernorum Epiſcopo adeò commendata, tum viris doctrinâ, ſan-

ctitate, martyriíque laureâ illuſtribus, ab ipſis naſcentis Eccleſiæ primordiis longè nobilior; poſtremis his temporibus ne quid deeſſet ad ætatis anteactæ gloriam, primos tulit è Societate Iesv in Gallia, qui glorioſam mortem pro tuendâ fide catholicâ generosè obierunt, Iacobum Saleſium, & Guillelmum Saltamochium, illum quidem oppido eius prouinciæ vulgò *Lezous* dicto, hunc verò S. Germano *an l'Her* oriundum. Et verò hanc laudem meritò ſibi prima vendicauit hæc prouincia, quæ prima in Galliis ſinu ſuo Religioſos eiuſdem Societatis excepit. Atque vt à P. Saleſio ordiamur,

Natus eſt is die Sabbato 21. Martij anni 1556. patre Laurentio Saleſio Claromontani Epiſcopi aulæ Præfecto, matre verò Catha-

rinâ Trible, non tam generis, quàm virtutis nobilitate conſpicuis, qui hanc vnicam prolem fœcunda ſanè ſterilitate in ſingulare totius regni bonum ediderunt, eodem anno quo ſanctus Ignatius migrauit in cælum, virum aliquando futurum illius zeli ad defenſionem catholicæ fidei atque inſtituti ſectatorem. Defunctâ matre, in Saleſio etiamnum puero infante, pater viduus eò præcipuè ſpectauit vt vnicum & cariſſimum filium doctrinæ ſimul ac pietatis diuitiis potiùs quàm copioſo & amplo patrimonio auctum relinqueret: Quare Patribus Societatis IESV Collegij Billomenſis eum bonis moribus & literis inſtituendum tradidit, & quidem in Seminario quod ingenioſis adoleſcentibus erudiendis in Reli-

gionis ſubſidium, Illuſtriſſimus Dominus Duprat Epiſcopus Claromontanus annuis reditibus dotatum Societati commiſerat. Hac in palæſtra ita in humanioribus literis adoleſcens verſatus eſt, quæ erat illius ingenij præſtantia memoriæque felicitas, vt facilè ſuis æqualibus antecelleret; Et, quod præcipuum eſt, ad virtutem mores ita compoſuit atque ad diuinæ gratiæ nutus ſe totum accommodauit, vt iam inde perfectiori quam deinde inſtituit vitæ, ac glorioſæ ipſius morti, præludere videretur. Sociis non minùs exemplo quàm piis ſermonibus ſtimulos ad virtutem continuò addebat. Animum ſtudiorum labore defatigatum, non iuuenilibus ludis, vt cæteri, ſed piis exercitationibus vtplurimum relaxabat. Iam decimum

tertium ætatis annum attigerat, cùm Deo impellente Societatis IESV inſtitutum ambire cœpit, eóque ardore rem promouit, vt tertio demum pòſt anno, exacto iam à ſeptem menſibus decimo ſeptimo, Græcis Latiníſque literis haud mediocriter inſtructus, quin & Hebraïcæ linguæ non imperitus, primo die Nouembris 1573. viſus ſit dignus, qui in eam admitteretur, tum Pariſios miſſus, vt aliquot menſes arti rhetoricæ perpoliendæ atque abſoluendæ impenderet, poſtmodum Virdunum ad tirocinium eſt deſtinatus.

CAPVT II.

Religioſæ illius vitæ pro temporum & munerum ordine deſcriptio.

EAm indolem attulit Saleſius in Religioſæ vitæ inſtitutum, quæ ad res magnas à natura comparata eſſe videretur; temperabat enim vim & acrimoniam ingenij aſperſio quædam melancholici humoris: eámque morum integritatem atque innocentiam, perfectioníſque (vt vocant Aſcetici) ardorem, quem deinde toto vitæ decurſu conſtanter retinuit, vt non difficile fuerit moderatoribus illum ad ipſam vitæ noſtræ rationem & inſtitutum planè informare. Eos verò toto eo tempore, quod ſoli Deo virtutíſque ſtudio

conceſſum eſt, progreſſus fecit, vt illum tirones cæteri velut exemplum ſibi proponerent.

Admotus deinde ad ſtudia literarum, per octo annos quos ſummâ contentione animi bonis artibus perdiſcendis inſumpſit, præter Philoſophiam & Theologiam humanioréſque literas quibus inſigniter fuit excultus, Græcæ atque Hebraïcæ linguæ perfectam ſibi notitiam comparauit: cùm iis antequam in Societatem admitteretur, mediocriter eſſet imbutus, quibus vt Chaldaïcam, Syriacámque adiungeret operam dedit, ne quid ſibi deeſſet ad reprimendam Hæreticorum pertinaciam, qui hoc tempore Catholicis præfidentiùs inſultabant, quaſi ex harum linguarum ignorantia verum ſacrorum librorum ſenſum minimè

aſſequerentur. His poſtmodum ſubſidiis munitus numquam ſectarios eſt adortus, quin illos peruinceret, vel ab iis eſt impetitus, quin reſponſum opportunum haberet paratum. Accedebat præterea, vt diximus, tenaciſſimæ memoriæ felicitas, quæ prompta illi ſuggerebat, quæcumque puer didicerat, & ſacræ Scripturæ Patrúmque ſententias ita fideliter promebat, vt & libros & capita ipſóſque apices vbi res poſtulabat, diſtinctè admodum proponeret. Itáque cùm de rebus in fide controuerſis diſputaret, aduerſariis admirationem ſimul & terrorem concitabat; è quibus diſceptationibus cùm ſemper victor diſcederet, Albenaci demum inter diſputandum, vt ſuo loco dicetur, glorioſum planè triumphum eſt conſecutus.

Præter has diſciplinas quas in fidei catholicæ defenſionem comparauerat deſtinaueràtque, quò ſe in aliorum etiam gratiam opportunè inſinuaret, Mathematicas perdidicit diſciplinas. Huic multiplici literarum ſcientiæ adiecit etiam rerum naturalium comprehenſionem; Plantarum itaque quæ ſe oculis paſſim obiiciunt naturam, vires & facultates notas habuit, eo conſilio, vt exemplo ſancti Ignatij ex illarum aſpectu mentem ad Deum conuerteret; ſicque ab vniuſcuiuſque vel fruticis vel floris contemplatione quoſdam quaſi igniculos diuini amoris concipere ſolitus erat, ſiue ſolus, ſiue cum aliis ageret, quos ad Creatoris laudes vnà ſecum excitabat.

Cùm domeſticam illam obſcuràmque vitam Saleſius ad annum

1582. tot diſciplinarum ornamentis illuſtrem reddidiſſet, ex Superiorum præſcripto in publicum illi atque in lucem prodeundum fuit: Ad Lucalia igitur illius anni, necdum Sacerdos in celebri Muſſipontana Vniuerſitate Philoſophiam docere inſtituit, in qua per triennium ſumma cum laude verſatus, ad 20. Aprilis anni 1585. ſacerdotali ordine Pariſiis eſt inauguratus; Deinde Muſſipontum reuerſus ad eiuſdem anni Lucalia Theologiam profiteri cœpit, in qua docenda quomodo ſe geſſerit, ipſe de ſe ſatis nudè profitetur; datis quarto Calendas Februarij anni 1587. ad R. P. Claudium Aquauiuam Societatis IESV Generalem literis, quibus illi animi ſui rationes explicat, ſic ait (*Ego ab anno dumtaxat Theologiæ Profeſſor,*

non naturam atque ingenium meum, ſed obedientiam ſequutus, iuxta primam regulam à V^a P^ie initio ſui Generalatus de ratione docendi propoſitam, D. Thomæ prorſus adhæſi eâ voluntate, vt Societati plus prodeſſem & Eccleſiæ: dum autem id facio, tantum deprehendi & quotidie deprehendo ſoliditatis & ſubtilitatis in D. Thoma, vt obedientiæ meæ fructum vberrimum, & ſuauiſſimum delibare ac decerpere mihi videar, &c.

Verùm dum totus eſſet in vero D. Thomæ ſenſu perſequendo, ſententiámque ſuam de figura Chriſti in Euchariſtia, germanam prorſus eſſe Angelici Doctoris aſſereret, negarent alij, delatus eſt ad Generalem, à quo ſententiam reuocare iuſſus, illam nihil omnino cauſatus, ſumma cum animi demiſſione depoſuit; quod vbi de

animi demiſſione dicetur, fuſiùs erit explicandum. Epiſtolam quam de hac re ad Patrem Generalem ſcripſit, ad verbum referemus, ne de religioſo illo ſpiritu quo ducebatur, quidquam ſit quod prætermittatur.

Triennio ferè poſtquam virtutis doctrinæque ſingularis in Theologia ſpecimen dederat, anno ſcilicet 1588. ex Superiorum præſcripto, meritâ Doctoratus laureâ eſt inſignitus; quem gradum non ſine metu ſe ſuſcepiſſe, neque vt honoris titulum, ſed vt oneris incrementum profeſſus eſt, datis ad Generalem literis, cùm in Eccleſiæ cauſa contra hæreticos defendenda longè maiorem curam atque operam ſibi ſuſcipiendam eſſe ſentiret.

Hoc eodem anno cùm ad ſtu-

diorum inſtaurationem Scripturæ ſacræ lectio in Muſſipontana Vniuerſitate primùm eſſet inſtituenda, ob multiplicem literaturam, linguarúmque notitiam, Hebraïcæ in primis ac Græcæ, ad id muneris aſſumptus eſt; ſed valetudine ob nimios & continuatos ſtudiorum labores pæne exhauſtâ, ab illis ex iudicio Medicorum remouendus fuit: inter alia ſummâ quâdam ducendi ſpiritus angebatur difficultate, Canináque, vt vocant Medici, appetentia, quæ κυνώδης ὄρεξις, tum ex humore frigido & acido, oſculo ventris impacto, tum ex nimiis vigiliis profecta, exanimem illum ſubinde pæne reddebat, niſi opportuno remedio prouiſum eſſet. Ille tamen ſic affectus, neglectâ ſui curâ, ſolita proſequi munia paratus

erat, illud Eccleſiaſtæ ſæpius habens in ore, *qui addit ſcientiam addit & laborem.*

Miſſus itaque in prouinciam Lugdunenſem, quò natali ſolo vicinior cælóque ſalubriori recreatus perditas vires reficere poſſet, Dolæ in Comitatu Burgundiæ per annum ferè 1590. conſtitit, vbi zelo animarum magis, quàm valetudini recuperandæ indulgens, conciones habuit ad populum, aliáque in communem vtilitatem præſtitit cum tanto fructu, vt datâ occaſione P. Claudius Aquauiua Generalis ſcriptis Romæ vltimo Auguſti huius anni literis, Dolámque tranſmiſſis ad ipſummet Saleſium hac paterni animi ſignificatione proſequi voluerit. (*Nunc cùm Reuerentia Veſtra iſtic tam vtilem operam & concionando & aliis modis*

ponat, vt cum mea conſolatione intellexi, pergat in præſenti eam vineam colere, &c. Inter labores iſtos qui homini integro & bene habenti ſatis fuiſſent, nonnihil erectus Saleſius ad Theologiam docendam in Vniuerſitate Turnonenſi deſtinatur in annum ſequentem 1591. quam ea cum laude per biennium ferè tractauit, vt in literis de eo ad Patrem Generalem ſcriptis, quæ in Archiuio Romano extant, tanquam Vniuerſitatis illius ornamentum prædicaretur; donec tandem ſub menſem Nouembrem anni 1592. Albenacum miſſus vitam pro fide ſeptimo Februarij anni 1593. fortiter profudit : de quo fuſiùs deinceps nobis erit agendum ſuis in locis, prout res poſtulabit.

Hæc eſt vltima vitæ laborioſæ

& Apoſtolicæ linea, quam per tempora diſtinguere breuiter placuit, vt ſub vnicum aſpectum Religioſarum occupationum contextus per ſpatium viginti pæne annorum ſubiiceretur, ſeruatis virtutum ſingularum monumentis in ſingula capita, ne quidquam breuitati quam ſectamur, detraheretur dum in perenni virtutum diuerſarum curſu, quæ eſſent eiuſdem naturæ, repetere ſæpius neceſſe videretur.

CAPVT III.

Saleſij profectio Albenacum, eiúſque cauſa.

Albenacvm in Viuarienſi regione nobile oppidum, auitâ olim religione inclytum, tunc

tunc Caluinianâ peſte afflatum, luéque illâ teterrimâ vndique perditum in extremo fidei periculo verſabatur. Huc itaque ex Collegio Turnonio Societatis Iesv (quod ad tuendam Catholicam religionem in illis partibus Societati tradiderat Eminentiſſimus Cardinalis Turnonius) alij atque alij Patres pro fide Romana omni ope defendenda frequentiùs commeabant ; ſed Patri Saleſio mors ibi glorioſa in eiuſdem fidei confirmationem diuinitus ſeruabatur.

Præerat Albenaco tunc nomine Regis nobiliſſimus æquè ac Religionis Catholicæ acerrimus propugnator Dominus de Montreal: hic à Rectore Collegij Turnonenſis vnum aliquem è Patribus flagitauerat in controuerſis quæſtionibus diſputandis in primis peri-

tum, qui Hæreticis terrori eſſet, ac præſidio Catholicis : Occurrebat ſtatim Saleſius qui Gubernatoris expectationi abunde ſatisfaceret, tùm vitæ ſanctitate, tum præſtantiâ doctrinæ; verùm affectæ illius valetudini timebatur : nihilominus Deo impellente mittitur à Superiore P. Carolus Ianinus, Saleſij animum exploraturus in tantâ corporis imbecillitate, qui hominem occupans in cubiculo, nixum de more genibus ante menſam, poſt religioſam ſalutationem ſciſcitatur ab illo, an per vires liceat per Aduentum conciones habere Albenaci?

Neque enim de voluntate dubitandum erat, quæ tota à Superiorum nutu penderet. Ah! exclamat illico Saleſius, Deo ſit laus, optatiſſimus mihi nuntius affer-

tur, ſpero namque me illic aſſecuturum quod tamdiu in votis fuit; eſt ſanè, mi Pater, quòd in gratiam felicis adeo nuntij preces ad Deum tibi reponam; móxque thecam reliquiariam oſculatur, quam ſemper geſtare conſueuerat, in qua fragmentum oſſis Patris Campiani recondebatur. Hic eodem anno quo Pater Saleſius admiſſus in Societatem, martyrij deſiderio tenebatur, communicatóque conſilio ſe identidem literis mutuò datis ad tam glorioſum exitum vterque inflammabat. Verùm Patre Campiano Londini anno 1581. in odium fidei occiſo, quem votorum participem ac ſocium habuerat Saleſius, eumdem continuò ad eamdem palmam obtinendam apud Deum patronum optarat. Huius itaque reliquias

venerabundus manu præferens &
Patrem Carolum compellans ,
quem ſciebat etiam martyrij cauſâ mitti in Indiam flagitare : Viſne, inquit, P. Carole, vnà mecum Albenacum proficiſci, procliue namque eſt ; vt ibi martyrium conſequamur ; Ego quidem ad alia omnia Societati iam ſum inutilis ; vides quàm afflictâ perditáque ſim valetudine. At, ſubiicit alter, Albenacum puriſſimo aëre fruitur, vbi ſine dubio vires reficies & vitioſum ſanguinem expurgabis. Tum Saleſius, Faxit Deus vt eò vſque mihi ſanguis expurgetur, donec ne vel minima in venis gutta reliqua fiat. Agedum, mi Pater, hymnum *Te Deum* ſimul concinamus, nihil enim mihi ad ſummam felicitatem contingere poterat opportunius : hoc

ſacro cantico inuicem recitato, addunt precationem, *Salue Regina.*

His peractis, Patrem Prouincialem adit alacer ac promptus Saleſius, cum quo iter Albenacenſe concluditur; & aſſignato in ſocium Guillelmo Saltamochio qui ante aliquod tempus Lugduno Turnonem fortunatâ omnino ſorte miſſus fuerat, ſub finem Nouembris itineri ſe accingunt, vt ad 29. menſis, in quem Dominica prima Aduentus cadebat illo anno, conciones inſtituere Saleſius poſſet.

CAPVT IV.

Albenaci concionatur Saleſius, & capitur.

TOTO Aduentus Dominici tempore ita diuini verbi præconem egit Saleſius, vt Hæreticis pariter ac Catholicis maximos animorum motus dicendo miſcuerit, atque agitarit, vtriſque teſtantibus ſua in vrbe neminem vmquam ſe audiuiſſe, qui & oratione & doctrinæ gloriâ plus poſſet; inſpirabat ſcilicet animam verbis aliàs mortuis zelus Apoſtolicus & ſanctioris vitæ probata omnibus ratio. Abſolutis Aduentus Dominici concionibus, Turnonem cogitabat Saleſius, exacturus ibi medium quod inter

Aduentum & Quadrageſimam intercurrit temporis ſpatium; ſed Gubernatori & primariis ciuibus Catholicis enixè poſtulantibus, vt ad feſta Paſchalia, continuato labore, frementibus licèt hæreticis, Catholicæ religioni præſidio foret, recuſare non potuit : diuinâ ſic conſtituente prouidentiâ, vt eam lauream obtineret quam per multos annos à Deo enixiſſimè poſtularat.

Interea non ſolùm in vrbe, verùm etiam in viciniâ, ſtrenuam nauabat operam; inter alia ſilentium Miniſtello indixit non longè Albenaco commoranti, qui Catholicos omnes ad diſceptationem de rebus in fide controuerſis prouocans, inſolentiùs ſe iactabat quòd nullus ſecum congredi auderet : quæ res cùm maximam re-

ligioni Catholicæ labem afferret, adeunt Catholici Patrem Saleſium, orant vt fidei Romanæ non parum ex hoc laboranti opem ferret, audaciámque Miniſtelli comprimeret. Ex compoſito igitur dies & locus pugnæ ſtatuitur, aula nimirum palatij Illuſtriſſimi Domini de Chauſſy; huc aduolat ad dictam diem noſter Saleſius; fit ingens Catholicorum Hæreticorúmque concurſus: verùm diu expectatus audaculus ille Miniſtellus ſibi timens, maluit pugnæ vitatione proprio pudori, quàm ſectatorum ſuorum honori conſulere. Cuius rei fama longè latéque propagata quantùm fidei confirmandæ apud Catholicos profuit, tantùm ad impium Hæreticorum furorem in Saleſium inflammandum contulit.

Securi nimiùm per id tempus ciues Albenacenſes agebant ob pactas cum Hæreticis rite inducias; eam fiduciam Chambaudus hæreticus potens pro occaſione arripiens, nullâ ſacramenti verecundiâ, fretus etiam hæreticorum ciuium proditione, dolum orditur vt incautos opprimat; itáque militem cogit ſparſis priùs vocibus in vulgus in Arelatenſes parari expeditionem. Saleſius nimiam inter nullius fidei hoſtes ſecuritatem exiſtimans, & doli fortè quidpiam ſubodoratus, Albenacenſem Gubernatorem monendum per alios curat, tum publicè pro concione Catholicos hortatur vt ad communem ſalutem contra occultas Hæreticorum artes intentiore vigiliâ excubent, atque inprimis capitibus ipſorum iuſtitiæ

diuinæ telis imminentibus, & maiorem vitæ integritatem & ſupplices preces tanquam ſcutum opponerent. Tandem cùm ſurdis canere ſe aduerteret, ipſemet illuſtriſſimum Dominum de Montreal vrbi præfectum adit, illi ſupplicat ne ſubdolis Hæreticorum rumoribus, quos ſeminabant Hæretici fidem vllam adhibeat; copias tanto ſtudio ab Hæreticis comparatas, non Arelato, vt ferebatur, ſed occupando Albenaco eſſe deſtinatas; Prætor opinatus ex meticuloſo magis Patrem quàm prouido loqui conſilio, vt mitiora tractantibus ſtudia vſuuenire ſolet. *Timere*, inquit, *videris, mi Pater, ades animo, & ſi quid metuis, in arce tutus eris ab hoſtibus, hîc ſedem tibi ornari curabo.* Cui Saleſius officiosè reſpondens: *Sibi perſuadeat velim*

omnino Dominatio veſtra, mihi me nihil prorſus timere, neque eo ſine huc acceſſiſſe vt propriæ ſaluti conſulerem; iam à quindecim annis martyrij ſummo teneor deſiderio, & ſanguinem Dei causâ fundere peropto: ô mihi propitiam manum quæ rem conficiet! modò ſit hæretici alicuius.

Dum hæc ita geruntur ſiue parum fidei repererit, ſiue ſatis caueri fraus inteſtina nequiuerit, octauo Idus Februarias ſub horam à nocte media quartam ex vicinis Hæreticorum oppidis collecti à Chambaudo milites à proditoribus intromiſſi de improuiſo vrbem occupant, Sarjatio primæ armatorum irruptionis ductore. Habitabant Saleſius & Saltamochius in ædibus quæ fuerant Michaëlis Varenici Iuriſconſulti aliquanto antè demortui, quas ædes Collegio So-

cietatis ciuitas deſtinabat : ibi à Carolo Boyronio magiſtratu primario, Regentem vocant, publicis ſumptibus alebantur. Excubauerat eâ nocte Saleſius ad mediam fere noctem, reduxerátque ad frugem honoratam & illuſtrem fœminam, quæ poſtmodum conſtanter catholicam fidem retinuit; breuem ſomnum interrupit ſtrepitus armorum ac tumultus; id quod erat ſuſpicatus, non ad arcem tanquam ad aſylum vt facile illi erat vnà cum multis aliis, ſed in templum ſanctæ Annæ non longè diſſitum ſecundis tenebris opem diuinam imploraturus confugit; poſt fuſas ibi aliquandiu preces cum ſocio, in ſuum ambo ſe diuerſorium recipiunt, genibúſque ibi ſubmiſſis concordes totos ſe Deo permittunt, cui ſe

vnà ambo deuouent, vnúmque orant vt animos viréſque ad fortiter agendum ſufficiat.

Primâ luce ad vrbis direptionem verſis militibus, prima cura Miniſtris Caluinianis fuit Saleſium in poteſtatem ſuam redigere: Norant hominem famâ ingenij & literarum, præſertim quòd Valentiæ in Delphinatu anno ſuperiori dum conciones haberet, ad diſputationem prouocatus, minimè dubiam ex congreſſu victoriam reportarat; tum quòd Albenaci per Aduentum Dominicum magno animorum motu hæretica dogmata conuellerat: &, quod illis nullo modo ferendum videbatur, ante quindecim dies ſectæ Caluinianæ inſignem infamiæ notam inuſſerat in palatio Illuſtriſſimi Domini de Chauſſy.

Tres igitur Caluinianæ furiæ, Labatius nempe Villæ nouæ de Berg, Ruillis loci de Mayras, & Guerinus oppidi de Vatz Miniſtri, qui vnà cum armatis illis Chambautij ſatellitibus ferales ignes inſpiraturi inter primos in vrbem penetrarant, Sarjatium quo tanquam præcipuâ incendiorum ſuorum face vtebantur, inuitant vt Ieſuitam diligentiſſimè conquiri iubeat, nec patiatur elabi; ille abſque mora ad Varenici ædes aliquot ſatellites mittit, in iiſque Petrum Lantozetum ac Petrum Marſcallum, datis mandatis vt vel vinctum ad ſe pertrahant, vel renuentem mactent.

Nullus fuit perueſtigandi labor, famulos Dei ſuo in diuerſorio genibus pronis Deum orantes inueniunt: illudere continuò,

conuiciis onerare, atrocibúſque minis loculos poſcere: Adhæc; *Nullæ*, inquit Saltamochius, *pecuniæ ſuppetunt nobis: Suppetunt equidem*, ſubiicit Pater, *en vobis ſudariolum, in quò reperire eſt aliquot aſſes inuolutos, quos ad vſum neceſſarium datos Turnone extulimus*: triginta ſolidorum ſumma erat dumtaxat, is erat illis theſaurus. Auidè ſudariolum ſatellites arripiunt, at ſpe ſuâ fruſtrati, vociferari, furere, ſuprema interminari, obtorto Saleſij collo, nunc ad proferendam, nunc ad paciſcendam vrgere pecuniam: inter quę nihil animo commotum, placidóque vti ſemper ſolebat vultu ac ſermone Saleſium ita locutum ferunt qui aderant. *Si de peculij noſtri tenuitate querimini, nos quidem præterea nihil habemus; ſi tanquam captiuos liberare paciſcíque pretio vultis,*

nihil in redemptionem noſtram poſſumus polliceri, niſi Domini Turnonij accedat liberalitas, quâ nos digni minimè ſumus. Quòd ſi causâ religionis hæc patimur, volenti libentíque animo præſto ſumus vitam & ſanguinem pro Chriſti amore & Romanæ Eccleſiæ auctoritate profundere. Vix ea dixerat cùm in ipſum atque in Guillelmum eâdem fide armatum petulanter inuolant, inauratam crucem quam in ſinu geſtabat, in qua & cereus agnus & piaculares quidam orbiculi erant inſerti eripiunt, nihil non excuſſum in cubiculo relinquunt, nec parcunt ipſi aliquot librorum ſupellectili Patríſque ſcriptis, quæ ante aliquot annos apud viduam Miniſtri Labat Villæ nouæ de Berg adhuc aſſeruabantur.

CAPVT V.

Miniſtri Caluiniſtæ Saleſium captum fictâ humanitate ad ſuas partes adducere tentant. tum de rebus fidei acriter diſputant.

NOBILEM illam prædam auidè expectabat impius & fidus Miniſtrorum miniſter ac ſatelles Sarjatius in domo Domini de la Tour, illuc itaque primùm furiæ illæ ſacras victimas dum pertrahunt, magnis clamoribus vias implent, teneri falſos prophetas: hos toruis oculis intuitus Sarjatius illico in ædes tetri Caluiniſtæ Ludouici de la Faye traduci iubet, vbi ſub militum cuſtodia relinquuntur. Largiter epulati Miniſtri armatorum ſepti coronâ, armati

& ipſi captos conueniunt, quos amicè primùm ſalutant, deinde blandis ſermonibus ad multam diem productis pellicere ad ſuas partes conantur, laudatâ inter alia ſuæ ſectæ doctrinâ, quæ tota ex ſacrarum paginarum puro fonte deriuaretur, proſperis à Deo ſucceſſibus vbique confirmatâ. Altera iam fluxerat poſt meridiem hora, cùm domeſticus famulus admonet Miniſtellos, cibo aliquo reficiendas eſſe nimiùm exhauſtas Ieſuitarum vires; homines tunc ſcilicet humani ſe apud Patrem excuſant, cibóſque illico iubent afferri: dies erat Sabbati, tempus fraudi accommodatum; celeriter itaque apponitur ex carne iuſculum, id erat eiuſmodi vt imperitos ſpecie falleret, iámque ſimpliciter ſubdolâ hominum benignita-

te vti paratus erat Saleſius, cùm à Guillelmo comite monitus, iuſculum ex carne ſibi videri, ſubſtitit, & quod appoſitum erat modeſtè remiſit. Hîc Miniſtelli admirationem ſimulant factíque rationem expoſcunt. *Non ignoratis*, ſubiicit Pater, *Catholicæ ac Romanæ fidei filios ex Eccleſiæ legibus die ſabbati vſu carnium abſtinere.*

Hac Miniſtri occaſione inuitati, omiſſâ vinctos ſolandi curâ, quæſtionem de ciborum delectu inferunt, nec difficile fuit ieiuno licèt Saleſio & viribus exhauſto bene ſaturos rationibus conuincere: quare, vt ſolent Hæretici, ſermonem aliò transferentes ad liberum hominis arbitrium ſe conuertunt; Certatur hîc vtrinque peracriter, & in ſummas tandem redacti anguſtias ad conuicia pro

more confugiunt, impoſtorem, Idololatram, Pſeudoprophetam vociferantur; quod vbi videt Pater, non iam ratione ſed contumeliis agi; vt iurgiis finem imponeret, libellum de Sacramentis & aliis in fide controuerſis ab ſe olim ſcriptum, quem ex aliis omnibus direptis fortè aſſeruarat, eis offert, addítque, *quoniam in tantis clamoribus atque conuiciis nullus eſt veritati locus, ſi cognōſcere velint quid ipſe ſentiat & cur ita ſentiat, eum libellum perlegant, & videant ecquid habeant quod opponant.* Arripuit libellum Railhis Miniſter Mayracenſis, quem propter multiplicem eruditionem cariſſimum poſtea ſemper habuit ac diligenter aſſeruauit. Sub ea tres illi Miniſtri ſic malè habiti frementéſque quòd victi abirent, proripiunt ſe è Patris

conſpectu, ingruente iam nocte innoxióſque Dei ſeruos ſummâ hyemis aſperitate ſeminudos, ſine cibo, ſine ſtrato, militum petulantiæ illudendos relinquunt, qui cùm ad multam noctem feſſos probris ac contumeliis agitaſſent, feſſi & ipſi, victimas Deo deuotas reſpirare tantiſper ſinunt, tum domeſticum ac innocentem puerum miſericordiâ commotum furtiuè illis panis fruſtulum ſuggeſſiſſe aiunt.

CAPVT VI.

Iterum diſputat Saleſius in Miniſtellos, & in odium fidei fortiter propugnatæ crudeliter trucidatur.

POSTERO die collectis viribus feſtini in certamen red-

eunt Miniſtri ; acris de Eucharistia inſtituitur diſputatio : pugna erat in multas partes iniqua, cum vnico tres, affatim cibo ſomnóque curati cum inediâ vigiliáque confecto, feroces & armati cum vincto deſtitutóque certabant ; aderat tamen defenſori ſuo cæleſte numen; (nec enim ſine aliquo miraculo tamdiù à canina illa ſua fame immunis deliquium minimè eſt paſſus) aderat veritas, religio, conſcientia; aderat in imbecillo corpore robur ingenij víſque doctrinæ ; itaque vel hoſtium admiratione quoſquos illi obiicerent cauillorum laqueos nullo negotio euadere, explicare ; contráque ipſos iis nodis conſtringere, vnde quamuis manibus pedibúſque colluctarentur nequaquam euoluerent ſeſe ; iámque

ſuæ illos pudebat inſcitiæ cùm Labatius admonitus inſtare tempus habendæ concionis, (dies enim erat Dominicus quem ſolum celebrant Caluiniſtæ) vſitatâ ipſis arte qua ſe pudori ſubduceret, diſcedit continuò veteri plenus veneno, nouis iris; conſcenſóque ſuggeſtu, quâ valebat temerariæ linguæ petulantiâ quidquid venit in buccam, quidquid ſuus illi aut Diaboli furor ſuggerit, euomit in Papiſtas, longè plurima in Ieſuitas & in primis in Saleſium debacchatur; nec puduit Eliæ magni ſacrificium ad exemplum proponere iam meditatæ iniquiſſimæ carnificinæ, recordarentur animoſi prophetæ zelum, quot vnus Prophetas Baali iuſtâ nece mactaſſet; tum libellum Patris Saleſij de ſanctiſſimo Euchariſtiæ

ſacramento, quem à Miniſtro Railhis acceperat manu præferens, Tollite, clamat., tollite de medio hanc peſtem, cum vnico vobis Pſeudopropheta & Antichriſto res eſt, ſed tamen eiuſmodi qui vniuerſum Galliarum regnum corrumpere valeat. Talia vociferans, quod agebat perfecit, furentes hæreticos tanquam œſtro percitos prorſus in rabiem egit. E pulpito digreſſus Sarjatium ſibi obuiam factum ſic compellat; Agedum Sarjati, quod iam inter nos conſtitutum erat exequi omnino & ſine mora neceſſe eſt, ita enim obſtinato animo eſt ille Pſeudopropheta, vt nulla ſpes ſit vt ſe noſtras in partes conuertat.

Illico Sarjatius latronum dux tribus ex ſuis ſatellitibus imperat,

vt ad Lantozeti properent domum, ibíque Antichriſtos Ieſuitas confodiant; verùm trės illi per viam ſecum deliberantes an crudele adeo mandatum exequi expediret, facinus pariter deteſtati, Numquam, inquit primus, huiuſcemodi ſcelus in me ſuſcipiam: idem conteſtatur alter: tertius verò per Diabolum deierat Ieſuitas à ſe nihil mali paſſuros. Expectabat interim auidè rei exitum Sarjatius, ſed poſt breue ſpatium redeuntes milites videns, ſciſcitatur ab illis an imperata feciſſent; Abſit, inquiunt illi, vt talibus iuſſis obtemperemus. Furens tunc Labatius armatâ militum manu ſtipatus partim diſtrictis gladiis, partim ſclopetis ad ictum intentis ad dictam domum rectà contendit ductore Sarjatio; quò cùm peruen-

tum eſt, imperat Labatius vt Ieſuitæ domo extrahantur. Continuò Sarjatius cum paucis militibus in ædes ſe infert, quem vt vidit Pater, humaniſſimè ſalutat: At ille furore demens qui toto pectore ſcelus anhelabat, nullâ redditâ ſalute Patríſque brachio furiosè correpto, Adeſdum, inclamat, Idololatra Phariſæe! Adeſdum, ſequere me! Quò, excipit Pater, eundum nobis eſt? Adeſdum, repetitis vocibus inquit Sarjatius, adeſdum, in publico tibi moriendum eſt! Ad hæc Saleſius alacri animo, Præſto ſum, eamus in nomine Domini, cuius cauſâ mori paratus ſum. Tum ad comitem Guillelmum diuinam opem continuis precibus ſollicitantem piâ curâ conuerſus; Mi frater, inquit, quid fiet tibi? bono

ſis animo, vidéſne vnde & quò vocamur? quanti è quantulis futuri ſumus! Progreſſus verò ſatellites monet ſocium ſuum literarum eſſe rudem, & qui nihil ipſorum rationibus officere poſſit, proinde parcerent ipſius vitæ. Hic Guillelmus virtutis memor, Nequaquam, exclamat, ego te deſeram Pater, quin & pro fide quam propugnaſti ego quoque promptus mortem occumbam! Suggerente milite quodam vt ſe, dum licet, ſubducat, eam enim tragœdiam in vnicum Saleſium comparari. Abſit, inquit, numquam ab eo diuellar, cui me ſancta obedientia vitæ & necis ſocium coniunxit; mortem pro Dei cauſa non reformido, quam ſiquis miles inferat pro eius gloria tuenda, næ ego bene fuero fortuna-

tus, Deúmque exorabo vt illi veniam facti indulgeat. His dictis aduerſam turbam perrumpere conatus vt Patris lateri adhæreret, vnus militum pugnum in humeros impingens, Moriere, inquit, quandoquidem mori lubet.

Miniſter Labatius qui Patrem in via publica cum ſuis ſatellitibus expectabat, vbi primum pedem è domo extuliſſe vidit, iterum ipſe (vt erat ingenio pugnaci) cum aliis nonnullis de Euchariſtia quæſtionem mouet, cùm quæſtiunculas feliciter omnibus explicaret Saleſius, in furorem actus Labatius iteratò inclamat, Tollite tollite de medio hunc hominem noſtræ religionis peſtem, indignus eſt qui diutius viuat. Tum repetitis magno cum ardore iis quæ è pulpito in Saleſium

euomuerat, vt milites ad Patris necem accenderet, ſeſe hinc proripit, Sarjatio rem totam committens. Illi verò qui aderant ſuprema imminere præſentientes, communis humanitatis cauſâ taciti atque attoniti ſecedunt; mox vnus è ducibus hæreticis militi cuidam ſuæ cohortis imperat vt Ieſuitas confodiat; negat ille ſe id facturum, malle ſe parricidij reum teneri quàm eos homines vel leuiſſimè attrectare, quos nullius vmquam damno ſicam ſtrinxiſſe conſtaret; quod reſponſum iniuriæ ſibi factæ loco barbarus ille accipiens, ſtricto gladio militem petit, qui declinare ictum lethiferum tanta cum celeritate non potuit quin graue in humeris vulnus acceperit. Hoc ſceleſtum ac nefarium facinus Sarjatio eiúſque

ſicariis reſeruabatur ad omnia flagitia paratis; quorum vnus vt ſclopetum in Saleſium poſſet commodiùs explodere, furiali voce clamat, Recede à me Pſeudopropheta; ad hanc vocem nihil attonitus Pater; Oro te, inquit, cariſſime, liceat mihi, & tuâ & mei cauſâ tantiſper Deo ſupplicare; breuíque ſpatio impetrato ad Guillelmum conuerſus: Mi frater, Deo pariter animas commendemus, precemúrque vt reſpiciat ſacrificium noſtrum: tum paulum progreſſus iubetur conſiſtere, paret ille & vnà cum Guillelmo in genua procumbit, mox ſublatis in cælum oculis & in ædem vicinam beatæ Virginis, poſt illius & Iacobi Apoſtoli cuius nomine appellabatur imploratam opem, in Saluatoris verba erumpit: Domi-

ne dimitte illis : mox decuſſatos in crucis formam pollices oſculaturus labiis admouet, Paſſionis Chriſti memor in manus Domini ſpiritum commendat. Poſt breuem moram ſatelles per Sarjatium agere iuſſus, admoto igne ſclopum in humerum orantis explodit, quo vulnere proſtratus, admotis ad os manibus, pronus in faciem cùm iaceret, enſe per latus adacto in viſcera, IESV nomen inclamans animam Deo beatam reddidit.

Ruit in expirantis complexum Guillelmus, ne ſocium, ne commilitonem, ne fratrem deſerat rogans; aduolant ſceleſti milites, illum è complexu diuellunt, & ſtrictis pugionibus certatim adorſi vulnere multiplici confodiunt inuictum Chriſti militem, do-

loríſque acerbitatem his verbis, Patere caro, patere, ac dulciſſimo IESV nomine, lenientem. Concidit demum exanimis in terram, brachiis ad pectus in crucis formam compoſitis, & victoriæ ſocium Saleſium pari cum palma ſubſequitur in cælum, alterâ poſt meridiem horâ die ſeptimo Februarij, vt ſuprà dictum eſt, anno 1593. cùm Saleſius annos ætatis 37. haberet, Guillelmus verò 38. ille viginti, hic autem duodecim annos in Societate exegiſſet.

CAPVT VII.

Hæreticorum in occiſos martyres furor.

NEC verò immanis Hæreticorum rabies ſanguine ac

cæde piorum ſatiari potuit. Saleſium veſtibus cunctis nudatum, Guillelmum verò relicto dumtaxat induſio ex plagis paſſim lacero, ex via in plateam raptant per loca cœno obſita, & funebrem Catholicorum pompam per laſciuiam illudentes, veſtimenta cæſis detracta pullarum veſtium inſtar militaribus ſuperiniiciunt ſagis, & ſolennes in Galliis exequiarum precationes inconditis vocibus imitantur, Libera, libera, exaudi, exaudi, impiè vociferati, præeunte pompæ milite, ſariſſam in rectum deferente, cuius ſummo vertici quadratum Saleſij pileum cauda vulpina adornatum impoſuerat, quò ſpeciem aliquam cruciferi exhiberet; Sarjatio hæc omnia ſpectante & cum magnâ militum vi effusè ridente. Vnus ta-

men ex hac cohorte Veſſalenſis indignitatem rei non ferens, in vicinam domum Ioannis Chibran mercatoris Albenacenſis receſſit lachrymas profundens, altóſque præ animi dolore gemitus ducens, vt ex authenticis habetur inquiſitionibus.

Vbi tandem veſanis atque importunis latronibus illudendi, irridendíque finem defatigatio ac ſatietas attulit, Sarjatius nondum Ieſuitarum cruore ac ludibrio ſatiatus, ſeuerè edicit atque interdicit, ne quis mortuos ſepeliat, atque ita beata illa corpora per aliquot dies iacuere inſepulta, crudelitate plus quàm barbarâ, ſed planè ſtultâ, cùm iam victrices animæ vitâ fruerentur beatâ. Cæterum vbi fædo ſpectaculo ſatis oculos cruentæ belluæ expleuere,

raptatos in hortum ruinoſæ domus Domini de Ioran duo ciues Albenacenſes Michaël Rochierius & Ponchutus pietate ac religionis catholicæ auitæque ſtudio inſignes, in horti angulo quoad fieri potuit, humi religiosè mandarunt. Verùm neque hîc ſacra illa corpora ab hæreticæ impietatis petulantia libera eſſe potuere: excubantium enim militum ſtatiuis in hoc horto poſitis, hunc angulum purgandæ aluo impij milites conſulto ſibi delegere, vt loci religionem in odium Romanæ fidei polluerent; & per duos annos quibus ibi ſacra illa lipſana iacuere numquam illuc accederent quin obſcœnis & contumelioſis aculeis demortuos configerent; interea dum in cælis Angelorum & Martyrum choris ſtipati pro il-

luſtri de impietate reportata victoria glorioſum agerent triumphum, & cæleſtium ſpirituum laudes pro conuitiis à nefariis illatis exciperent. In hunc fermè modum pro tuendâ religione mortem oppetiere fortiſſimi athletæ. Nunc quibus gradibus ad tam beatam ſortem peruenerint, declarandum.

CAPVT VIII.

De Patris Saleſij ſummâ demiſſione animi.

Qvamvis animi demiſſio digna commendatione ſit, vbiuis exiſtat: longè tamen illuſtrior eſt, in iis qui doctrinæ laude aliiſque animi dotibus præſta-

re cæteris videntur. Hanc coluit ſummâ diligentiâ Saleſius tanquam virtutum cæterarum fundamentum. Hinc obedientia illius eximia quæ ex Superiorum vel minimo nutu tota penderet, hinc modeſtia, hinc manſuetudo ſingularis quæ amabilem omnibus illum reddebat, hinc ſui contemptus quo ſe omnibus ſubiiciebat; Quos videbat eſſe difficilioris ingenij atque ab ſe (vti naturâ comparatum eſt) alienioris, eos vnicè præ aliis obſeruabat, atque officiis omnibus proſequebatur, ne quem illis locum daret offenſionis, animóſque illorum ſibi religioſè deuinciret; infimos perinde ac ſummos in conſuetudinem adhibebat; honorem ſibi ab illuſtribus viris delatum, ad Deum ſubitò referebat, cùm ei cuius in-

ſignia geſtabat, non ſibi, debitum eſſe agnoſceret. In quacumque Societatis domo verſaretur, conſilium S. Ignatij ſecutus, quod tantopere ſuis commendabat, ſtatim ſibi Admonitorem è ſociis aliquem deligebat qui ſuis actionibus diligenter inuigilaret, quem orabat enixè, vt liberè de ſuis omnibus pronuntiaret, monita pro ſingulari beneficio habiturus, háncque gratiam fuſis ad Deum pro illo precibus liberaliter repenſurus. Et in hoc genere nouam ſe deprimendi rationem adinuenerat; non enim ad hoc officium, æqualem, vt moris eſt, ſed illiteratum aliquem ex infimo ſociorum ordine ſibi vtplurimum cooptabat.

Cùm primùm Turnonem venit ſcholam moderaturus Theo-

logicam, ſeu tenuitate Collegij per illa tempora, ſeu alio errore, datus eſt illi ad vſum pileus quadratus probè detritus ac perunctus, & ſordidula vetúſque toga; quod ille non ſolùm diſſimulanter & æquo animo tulit, ſed & ſúmmâ alacritate accepit, quòd ſuis rationibus multum conferre ſentiret, & ad animi demiſſionem cui ſtudebat imprimis, non parum faceret.

Ad verum & germanum virtutis huius characterem veniamus, iudicij nimirum proprij victoriam; ſunt enim qui in veſtitus ac victus ratione (inquit S. Gregorius Nazianzenus) *genuum callo, lachrymarum fontibus, ieiuniis, vigiliis, chameuniis, labore, atque omni corporis maceratione demiſſionem animi præſeferentes, ac propriam imbecillitatem ag-*

S. Gregor. Naz. or. 26. de moderatione in diſput. ſeruanda.

Αἰσχρὸν ἐσθῆτος μὲν καὶ διαίτης μὴ τὴν ὑψηλοτέραν αἱρεῖσθαι, ἀλλὰ τὴν εὐτελεστέραν καὶ τύλοις γονάτων, καὶ δακρύων

noſcentes, in diuinis autem diſputationibus principatum ſibi vendicare volunt, nec cuiquam omnino cedere, verùm ſupra omnes legis Doctores ſupercilium efferre. Quod, inquit ille, *turpe omnino eſt, exterior enim illa humilitatis ſpecies inanis & mendax eſt ſine interiori, in qua vera demiſſionis conſiſtit gloria & ſecuritas*; Cùm periculoſum ſit in rebus diuinis propriæ ſententiæ obſtinatiùs & arrogantiùs adhærere. Hac in materia illuſtria ſæpius verè illius demiſſi animi monumenta reliquit Saleſius, quorum duo tantùm hîc afferam, ne præſcriptæ mihi breuitatis limites excedam. Cùm propoſitiones in Philoſophiam Pariſiis haberet iam prælo paratas, in quibus ſententiæ aliquæ ac opiniones alioquin probabiles continerentur, verùm quæ ſtudiorum moderatori minùs

πηγαῖς, ἐπὶ δὲ νηστείαις καὶ ἀγρυπνίαις καὶ χαμευνίαις, κόπῳ καὶ πᾶσιν ὑπωπιασμοῖς τὸ ταπεινὸν ἐπιδείκνυσθαι, καὶ τὴν τῆς ἰδίας ἀσθενείας συναίσθησιν· αὐτοκράτορα δὲ εἶναι, καὶ τύραννον ἐν τοῖς περὶ θεοῦ λόγοις, καὶ μηδενὶ τὸ παράπαν ὑφίεσθαι, καὶ τὴν ὀφρὺν αἴρειν ὑπὲρ πάντα νομοδιδάσκαλον, ἔνθα τὸ ταπεινὸν μετὰ τῆς ἀδοξίας ἔχει καὶ τὴν ἀσφάλειαν.

placerent, nihil cunctatus ſubitò deleuit, longè plus momenti ponens in demiſſionis ac obedientiæ legibus obſeruandis, quàm in opinionibus licèt probabilibus defendendis.

Cùm ſententiam de figura Chriſti in Euchariſtia mutare iuſſus eſt, noluit priùs rationum pondus, authorúmque iudicium quibus nitebatur exponere Superioribus, ne in re tanti momenti inconſultè ac temere erraſſe videretur, nec deinde, vt poterat, explicatâ illis ſuâ mente ita ſententiam retractare, vt non tam illorum iuſſu quàm propria ſponte & re meliùs conſideratâ id à ſe factum auditores agnoſcerent. Et hoc quidem intra obedientiæ & conſuetæ demiſſionis fines. Verùm ille qui in omni virtutum genere ad id quod nu-

meris omnibus abſolutum eſſet ſemper aſpiraret, ſignificatione vnâ literarum, ſine vlla mora & alacri animo vbi primùm conſcendere pulpitum licuit ab adagio illo Græco exorſus, δεύτεραι φροντίδες σοφώτεραι, ſecundæ cogitationes ſapientiores eſſe ſolent, iubet diſcipulos ea quæ de illa ſententia à ſe ante aliquot menſes dictata fuerant prorſus obliterare, negans illam ſibi placere poſſe quam à ſuis moderatoribus non ſatis probari cognorat. Quæ animi demiſſio, obedientiæque perfectioris ſtudium ſummopere ab omnibus laudata fuere. Tum ad Patrem Claudium Aquauiuam Generalem ſcribens rationem facti reddit, datis Muſſiponto ad ipſum literis 20. Iunij 1587. quas ex autographo quod extat in Archiuio Romano,

tranſcriptas hîc placet afferre quòd ſpirent hominis ſanctitatem.

Nuper, inquit, *ſum de mea quadam opinione retractanda à Patre Viceprouinciali admonitus. Etſi minimè moleſtum fuit retractare quod iubebar de figura Chriſti Domini in ſanctiſſimo Euchariſtiæ ſacramento, nedum admoneri ſiue iuberi vt retractarem, aut ad V. P*tem *alióſue Superiores hoc nomine deferri; tamen ipſa mihi culpa, vt par erat, vehementer diſplicuit, vt magno proinde in beneficio collocem quòd ſum admonitus; veſtræque imprimis Paternitati, tum cæteris Superioribus meis, & omnibus quicumque ad hoc aliquid contulerunt, ex animo ingentes gratias agam. Dolet autem mihi maximè Paternitati veſtræ cæteríſque Superioribus occaſionem dediſſe moleſtiæ laboríſque, ac tam facilè tanta in re à communi ſententia deſciuiſſe: ſed ego me D. Thomæ nimirum hac*

etiam in re ſectatorem putabam, neque enim illum vel Dominicus à Soto diffitetur de huiuſmodi quæſtione in Summa Theologica obſcuriùs locutum eſſe. Deinde mihi nec ſoli videbar contra Sacramentarios aliquid afferre commodius æquè ac facilius. Denique ſententiam illam quæ me tunc adſtipulatorem habuit, credebam equidem probari pluribus noſtro hoc tempore, quod ita legeram in ſcriptis Patris noſtri Iacobi Gordoni, qui prorſus eamdem opinionem Pariſiis etſi breuiter anno 1579. docuit, quo ego præceptore poſtea ſum vſus. Cæterum data eſt à me diligenter opera dicendo dictandóque, vt ex animis auditorum meorum prior euelleretur ſententia, vtque poſterior communis etiam cum iis ſcripto communicaretur quos error præſentes habuiſſet, abſentes autem correctio. Et hæc quidem de meis rebus hactenus, neque enim Indicam nunc profectionem iterum

vrgendam puto, cùm ob ſtudium parendi, tum quòd in nouo ſtrepitu armorum & quotidianâ hæreticorum expectatione, nihil eſt cur nunc Jndias appetamus, quod enim remotius accerſendum videbatur, id nobis vltro, laus Chriſto, pro foribus adeſt, &c. Hactenus Epiſtola Saleſij Martyrium ſub finem ab Hæreticis præſagientis atque optantis.

CAPVT IX.

Saleſij in res diuinas affectus.

IN cæleſtium contemplatione ita mentem intelligentiámque in res diuinas infigebat, cum tanto támque ſuaui pietatis ſenſu, vt aberrationem ab iis nullam pateretur; totus ſcilicet Deo plenus in illum ſolum animum intendebat,

nec turbabàtur circa plurima, qui vnum ſemper in omnibus quære-ret. Quod ſingulare Dei benefi-cium, cùm totam animæ ſuæ ra-tionem iuxta Societatis leges Su-perioribus explicaret, non ſine rubore, ex humilitatis ſenſu pro-ficiſcente aperire ſolitus erat. Et verò quàm pretioſum ſit illud è cælo munus ſatis intelligere qui-uis poterit, ſi ſeipſum conſulat, *cùm per momenta ſingula* (vt inquit Caſſianus) *lubricis diſcurſibus animus euagetur tum ex humanæ corruptionis la-be, tum ex ſtigij hoſtis in id continuò in-cumbentis malitia*. Et Auguſtinus. *Ad ipſum Deum cogitandum ſicut dignum eſt ab homine cogitari Deum quanta impediunt? quanta reuocant? quanta à ſublimi intentione detorquent? quanta interpellant? quæ turba phantaſmatum? qui populi ſuggeſtionum?* His omni-

Collat. 7. c. 3.

In pſal. 102.

bus impedimentis ſolutus noſter Saleſius diuinas commentationes peragebat eo in loco quem meditationibus deſtinatum habebat.

Verùm cùm in omni loco ſuum circumferret Oratorium, cæleſtibus deliciis vbique paſcebatur, & angelicam vitam imitatus, quod cæleſtium ſpirituum proprium opus eſſe ait ſanctus Athanaſius, indeſinentem hymnum & continuas laudes diuinæ Maieſtatis perennémque orationem fundebat. Hoc modo ex conſpectu non dicam ſiderum quæ ſpecioſiùs gloriam Dei enarrant, ſed vel minimæ plantæ vel animantis ſtatim ad Deum euolabat, verus ſancti Ignatij filius, qui ex huiuſcemodi rebus creatis tanquam gradibus ad diuinæ magnificentiæ laudes aſcendere ſuos docebat.

q. 31. ad Antioch. ὕμνον ἄληκτον καὶ δοχὴν ἔμμονον.

Ex illa cum Deo continua familiari conſuetudine pax dulciſſima & animi ſerenitas oriebatur, quæ in Saleſio apparebat, quam pacem Dei exultantem Apoſtolus nominat, ſuadebátque aliis vt læ- *Coloſſ. 3. 25.* tos in ſe motus animi prouocarent conſideratione iucunditatis illius immenſæ, qua Deus fruitur, & cuius in ſe deriuatione cælites immenſum æternúmque gaudent. Ipſe verò diuinarum perfectionum contemplatione totus gaudio delibutus ſæpe in has voces erumpebat, *gratias agimus tibi propter magnam gloriam tuam.*

Cùm verò ex omnibus iis occaſionem captaret diuinos affectus in ſe excitandi, quoties ad ipſius cubiculi fores pulſaretur, priuſquã de more iuberet intrare, poſitis humi genibus Deo dicebat, *Intra*

Deus

Deus meus, intra in animam meam. Quo fiebat vt plerumque ab adeuntibus genuflexus deprehenderetur. Hos cæleſtes ignes qui pectus ipſius inflammabant ita inſpirabat iis, quos exercitiis ſpiritualibus Sancti Patriarchæ Ignatij imbuebat, vt mirarentur ſe adeò vehementi calore diuino incendi.

Et quoniam ex abundantia cordis os loquitur, ſermones ſemper de Deo diuiníſque rebus inferebat, ſiue cum externis, ſiue cum ſociis ſtatis collocutionis temporibus ageret; poſuerat illum Deus, vbicumque tandem eſſet, ſicut *ſagittam electam*, quæ aliorum corda igneis vulneribus percelleret, ita ut ſæpius eius colloquiis inflammati ſocij cum illis ab Euangelio dicerent, *Nónne cor noſtrum ardens erat dum loqueretur.* Inſtituebat cœ-

tus & quaſdam velut academias ſociorum, quibus cæteras inter leges eam quoque tulerat, vt quando ex iis plures conueniſſent in congreſſibus aliorum, occuparent illi primas dicendi partes & inuicem reſponderent, vt eòdem cæteros adducerent, & nihil præter pios ſermones in medium afferrent.

CAPVT X.

Affectus erga ſanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum.

SANCTISSIMVM Chriſti corpus eximiâ pietate cultúque proſequebatur: Nulla de re libentiùs ardentiúſque loquebatur, eiúſque ſermonis facultatem cupidè ſolertérque captabat: nullus

abibat dies quin ſæpiſſimè ad templum accederet, ſéque ante ſacroſanctæ Euchariſtiæ aram proiiceret, quam ſingulis ferme horis piè ſanctéque colere geſtiebat. Inter ſacrificandum nullas patiebatur animi euagationes totus in Myſterio quod tractabat, & in alium pæne hominem transformatus. Quando per valetudinem à celebrando impediebatur, rogabat è ſociis aliquem vt ſuo nomine alteri ſacrificanti adeſſet. Anno ante mortem, rogatus Anicij, vt ſacram porrigeret hoſtiam Energumeno cuidam, eius acceſſu turbatum, vt fit, hominem paucis verbis ſubmiſſè pronuntiatis ita compoſuit, vt pacatè diuinum libarit epulum. Denique optati à ſe tantopere Martyrij potiſſima occaſio ab ea diſſertatione proceſſit, qua au-

guſtum hoc Sacramentum aduerſus Sectarios propugnauit, oblato etiam illis quem de eo accuratè meditatéque conſcripſerat libro. Atque ex iis factum eſt, vt non incongruè quidam ſanctum hunc virum expreſſerint manu complexum hoſtiam diuinam velut proprium ſuæ teſtificationis inſigne.

CAPVT XI.

Amor in Deum.

Divini amoris quo ardebat magnitudinem tot ille modis exprimebat, vt numquam ſatis ardere videretur. Omnis illius ſermo inde fere principium, ibi finem ſortiebatur, accidebátque interdum vt nonnullis qui nondum ſatis didicerant diuini ardo-

ris ſuauitatem, grauior hoc nomine eſſet illius conſuetudo; ſed adeò non aſpernabantur qui ſectabantur potiora, vt præ dulcedine quam ex eius ardentiſſimis verbis trahebant lachrymas non tenerent. Si quando iubebatur ad ſocios ſtatis temporibus verba facere, nihil peræquè commendabat ac amorem diuinum, cum magna omnium delectatione ac fructu.

Fouendo illi augendóque ardori diuino varias excogitarat vias & rationes, quas cum nonnullis communicarat. Familiares ipſi erant tres verſus quibus illigauerat media quæ potiſſimum vſurpabat; quos hîc afferre operæpretiũ duxi.

Guſto Deum, cupio, zelor, gratúſque reuoluo,
Offero, depono, atque reſigno, mortificórque,

Confero, magnifico, admiror, con-
gratulor ipſi.

Quorum hæc eſt ſententia petita ab iis qui animum illius penitiùs cognorant. Curas omnes adhibere mihi par eſt, vt Deo ſemper & ſine ſatietate fruar, immenſæque illius bonitatis quantum in me erit guſtem delicias. Huc votis omnibus aſpirandum, hic vnicus deſideriorum meorum debet eſſe ſcopus. Ad hoc aſſequendum ardenti zelo diuinæ gloriæ augendæ inflammari debeo; ac diuina erga me beneficia grato ſemper animo recolere; & in ſignum grati animi me totum illi offerre, méque meáque omnia ad illius nutum reponere quæ dedit, eíque de integro me credere vt de me ſtatuat pro arbitratu ſuo. Cùm verò id fieri nullo modo poſſit niſi affectus om-

nes humanos exuam, mortificationi diligenter incumbam, certus quòd qui odit animam ſuam in hoc mundo, in vitam æternam cuſtodit eam. Et vt animos mihi faciam, conferam æterna temporalibus, quia non ſunt condignæ paſſiones huius temporis ad futuram gloriam quæ reuelabitur in nobis. Conferam inſuper creata omnia cum creatore, vt inde materiam ſumam laudum quibus æternùm eſt celebrandus. Cúmque infinitæ illius excellentiæ tenuitas mea ſuccumbat neceſſe ſit, admiratione obſtupefactus ſacro ſilentio maieſtatem illam ſupremam venerabor. Et tandem ex puro amoris affectu illi de infinita eius excellentia gratulabor.

CAPVT XII.

Amor proximi.

EX amore diuino, quo tam ardenter flagrabat, tanquam ex fonte manabat zelus ille vehemens animarum, qui pectus ipſius inflammabat, cúmque Europa vaſtum illud deſiderium non expleret, ad Miſſiones eum Indicas impellebat; cuius rei teſtimonium ſanè amplum dabunt literæ illius ad Patrem Claudium Aquauiuam Societatis IESV tunc Generalem, datæ Muſſiponti octauo Idus Ianuarij anni 1587. quas hîc ex Archiuio Romano, vbi aſſeruantur, deſumptas in apertum, & ad verbum referre viſum eſt; nec enim conuenit humana & frigida im-

miſcere vbi diuinus & ardens ſpiritus loquitur. *Multi ſunt anni cùm incredibili teneor deſiderio Miſſionis ad infideles ſiue Americæ, ſiue Iaponios aut Chinenſes aut alios quoſcunque; etſi autem non ſum admodum robuſtus, tamen conſolatur me ipſius Apoſtoli præſentia corporis infirma, & quod intelligo non paucos è noſtris imbecilles, haud mediocriter Chriſti negotium in huiuſmodi partibus promouiſſe. Linguarum quidem addiſcendarum opus mihi non admodum graue. Velim igitur hoc meum deſiderium his iam literis veſtræ Paternitati expoſitum eſſe, vt ſi quando ſpes erit etiam noſtratibus huiuſce Miſſionis, mei recordetur, méque in album eorum referat qui huiuſmodi laborum ardenti deſiderio tenentur. Scio quidem & Gallias opis indigere, atque vtinam ne in dies magis ac magis, ſed hîc multitudo inertes pæne reddit operarios, qui profectò nimiùm multi*

ſunt præ vaſtiſſimis illis atque ad meſſem fere iam albis regionibus. Deeſt etiam mihi illa perfectio quam negotium tantum efflagitat, ſed de diuina confido miſericordia fore vt in dies ſemita mihi iuſtitiæ quaſi lux ſplendens procedat & creſcat, vtinam vſque ad perfectam diem.

Cùm autem illi reſponſum eſſet; Meliorem eſſe obedientiam quàm victimas, atque in Galliis ampliſſimas Indias habere ad frangendam hæreticorum pertinaciam: in hoc reſponſo tanquam in oraculo acquieſcens Hæreticis ad ſanam mentem reuocandis nihil non molitur opere, verbo, ſcriptis. Et ſanè mirum eſt eum in tanta virium imbecillitate, in tantis & continuis theologicæ palæſtræ laboribus, támque breui tempore tot potuiſſe & quidem do-

ctiſſimos tractatus de controuerſis quæſtionibus ſcribere; ſed vrgebat zelus domus Dei à Catholicæ religionis hoſtibus per vniuerſam ferme Europam miſerandum in modum iactatæ. Quæ opera cùm longè vtiliſſima pro temporum calamitate prælóque mandanda iudicarentur ab omnibus, atque ad id accedere de more deberet Generalis facultas, illam enixè petit P. Richeomus tunc Prouincialis Lugdunenſis, qui etiam voluit vt ipſe Saleſius datis ad Generalem literis negotium vrgeret. Verùm cùm inter has moras Albenacum miſſus Saleſius omnes illos libros ad vſum proprium contra Hæreticos ſecum aſportaſſet, magno reipublicæ Chriſtianæ detrimento perierunt. Quare ne zeli illius quo ſaluti Hæreticorum conſulere nitebatur Sa-

leſius tam inſignia monumenta in totum perirent, Epiſtolam vbi ea recenſet, ad Patrem Claudium Aquauiuam ab ipſo datam, iiſdem verbis hîc tranſcribimus. *Viſum eſt Reuerendo Patri Prouinciali Ludouico Richeomo, ſicut iam ſuperiore anno viſum fuerat, vt peterem à Veſtra Paternitate facultatem in lucem edendi quoſdam meos tractatus, quos ille vtiles futuros ſperat & de quibus ſe quoque ad Veſtram Paternitatem ſcripturum promiſit. Hoc igitur impræſentiarum facio petóque, vt ſi permittendum iudicet id ſignificare dignetur. Tractatus præcipuus eſt, Hæreſeon manifeſtatio, ſiue de præiudiciis contra omnes hæreſes, in quo ex Scripturis & Patribus vltra quinquaginta hæreſeon præiudicia & ſigna demonſtrantur, déque illarum moribus diſputatur, & res tota ad huius etiam temporis Hæreticos ſpecialiter deriuatur. Nos paſſim*

prouocamur ab Hæreticis, & tota prouincia vel potiùs duæ prouinciæ, Viuarienſis & Allobrogum, quæ ſolo interiectu Rhodani diſtant, ab Hæreticis miſerè diuexantur. Rogarunt me ſæpius, ſed & R. Patrem Prouincialem & Vice-Rectorem diuerſi nobiles, ſed & alij tum Eccleſiaſtici tum Laïci, vt feramus opem. Alius tractatus, quem noſtri cum primis deſiderant, & iam ab anno ſuperiore flagitant, eſt præcipuarum quarumdam controuerſiarum, quas R. P. Franciſcus Coſterus in ſuo Enchiridio prætermiſit. Cùm enim huiuſmodi controuerſiarum Enchiridion pro typorum commoditate, magis autem ob multorum etiam auditorum noſtrorum neceſſitatem, qui R. P. Bellarmini prolixiores controuerſias comparare non poſſunt, imprimendum curaſſemus, fructum retulimus haud pœnitendum: ſed deſideratæ ſunt à multis imprimíſque à Philoſophis & Theologis noſtris, quæ in illo

Enchiridio deſunt controuerſiæ, præſertim de Sacramentis, exceptâ ſolùm Euchariſtiâ, & aliæ quædam, quas ego cùm ad manum haberem Muſſiponti à me ante aliquot annos tractatas, & Superiori & Profeſſoribus noſtris optatum fuit vt eas in Enchiridij formam redactas in lucem emitterem, idque illi à R. P. Prouinciali nuper hàc tranſeunte petierunt: Ille poſtulationi quantum in ſe eſſet annuens præcepit, vt hac etiam de re ad veſtram Paternitatem ſcriberem. Ego quidem ex quo ante ſex annos Paternitati veſtræ viſum fuit, vt Doctoris Theologi gradum Muſſiponti ſuſciperem, quem non ſine metu ſuſcepi, nec vt honoris titulum, ſed vt oneris incrementum, nihil antiquius habui quàm vt omnibus quibus poſſem modis Eccleſiæ prodeſſem, & Hæreticis præſertim reſiſterem; quod etiam ſcholaſticâ Theologiâ tractandâ faciebam, quia & Superiores me ad hoc

idoneum propter nonnullam linguarum Hebraïcæ & Græcæ à puero notitiam iudicabant, ſed quantacunque facultas eſt, ea, vt ſpero, capiet veſtræ Paternitatis precibus incrementum, cuius me ſanctiſsimis ſacrificiis commendo, ſicut eam ipſe circa eadem ſacra myſteria nullius diei prætermiſsione recolo. Turnoni 25. Maij 1592. Veſtræ Paternitatis indignus in Chriſto ſeruus Iacobvs Salesivs.

Dum Muſſiponti Turnoníque doceret, non poterat contineri ſcholæ finibus eius in iuuando proximo ſtudium; excurrebat identidem ex Superiorum præſcripto ad vicina loca concionaturus, aut alio in munere proximis opem laturus, ſemper pedes & Apoſtolico more, ſolebátque in itinere hanc Chriſti meditari ſententiam, *Ecce ego mitto vos vt eatis & fructum afferatis, & fructus veſter ma-*

neat. Quæ vltima verba diligentiùs expendens præcipuum concionum fructum in eo ponebat, vt ex peccatis admiſſis, acerbus animi doloris ſenſus auditorum animis infigeretur, qui vt ratus fixúſque maneret, aiebat id omnibus precibus debere Concionatorem à Deo petere atque obtinere. Vrebant hoc modo anxiam mentem Saleſij crimina peccatorum, & pro illorum ſalute vehementer ſollicitus Dei miſericordiam implora-
2.Corinth. 12. bat, lugebat cum Apoſtolo eos qui peccauerant & non egerant pœnitentiam ſuper iis quæ geſſe-
Ad Hebr. 4. & 5. rant, & condolebat iis qui ignorabant & errabant, & in dolorum infirmitatúmque partem ac quaſi ſocietatem veniebat. Peccauerat vnus aliquis peccatum grande. Mirantibúſque nonnullis quî fieri

poſſet

poſſet vt homo qui æternæ felicitatis haberet fidem, vſque adeò ſuæ ſalutis eſſet negligens; reſpondit Saleſius magis ſe admiraturum, ſi haudquaquam ſcelera tam atrocia committerentur, quoties in naturæ humanæ corruptionem oculos coniiceret; multò ſe plura grauioráque commiſſurum, niſi tot inter illecebras diuinâ coërceretur benignitate: profundæ humilitatis ſenſa hoc modo cum zelo ardentiſſimo coniungens. Nulli parcebat labori dum miſſiones obiret, vt inter ſe diſſidentes & inimicorum animos reconciliaret: in quo genere præſtitit ſæpius, quâ valebat vnicè ad id gratiâ, quæ fidem omnem ſuperararent. Nec ſolùm in animis curandis zelum ſuum impendebat Saleſius, inueſtigabat ſedulò vias omnes quibus occur-

rere poſſet indigentium inopiæ, in eorúmque commoda tanto ferebatur affectu, vt aliis eſſet admirationi, aliis plus iuſto ſollicitus eſſe videretur.

CAPVT XIII.

Studium & cupiditas Martyrij illiúſque præſagitio.

HOc flagitare imprimis viſus eſt Saleſius, Martyrij ſcilicet lauream. Hæc illius præcipua cupido, mori pro Chriſto, quam adeò non poterat quantâuis curâ celare, vt non erumperet paſſim vel imprudenti. Si ſermo incideret de Martyrio incogitanter, ô ſi! exclamabat, & aduocato mox animo reliqua opprimebat, negabátque ſe tantâ gratiâ dignum eſſe,

quæ paucis à Deo concederetur.
Patris Edmundi Campiani oſſiculum de collo ſemper geſtabat, hic ſocius ipſius fuerat, & literis inuicem datis, antequam Edmundus in odium fidei Londini morti traderetur, ad Martyrium ſe mutuò accendebant, vt ſupradictum. Eius itaque Epiſtolam ad ſe miſſam, chariſſimū veluti Martyris pignus & ad Martyrium inuitamentum conſeruabat & oſculabatur, ad ea præcipuè ipſius verba. *Si vel canibus alendis fœnerari poſſim Domino, quis ſum aut quæ eſt domus patris mei, vt recuſem.* Hoc Martyrij deſiderium induxerat illius animum, vt Miſſiones Indicas datis ad Generalem literis peteret; quod cùm vni ſociorum aperuiſſet, atque ille virium obiiceret imbecillitatem; *Neſcis tu*, inquit, *Rodolphum*

Aquauiuam aptum fuiſſe Indiis & Martyrio, qui priùs Romæ Valetudinarij limen aſsiduò terebat? quis cognouit ſenſum Domini, annon in infirmo corpore meo velit triumphare? Cùm diceret Saleſius ſe prorſus inutilem Societati labefactatâ iam valetudine, & reſpondiſſet quiſpiam, ſatis illum publicè docendo præſtare. *Ah! ſubiiciebat, quàm meliùs Societati ſeruirem bene operando & mala patienter tolerando, vt me ſic ad Martyrium compararem, ſed vereor ne in ferendis aduerſis remiſsior animus hanc tantam à me remoueat felicitatem.* Nullâ non die ſupplex ad ſacras aras donum hoc poſtulabat, & quinquies *Pater* & *Aue* Regis Martyrum quinque plagas veneratus in hunc finem recitabat. Faſſus eſt aliquando Superiori, dum animi ſui rationes de more Societatis exponeret,

tantâ ſe vehementiâ ad Martyrium anhelare, vt ſingulis horis Deum pro illo adipiſcendo fuſis precibus fatigaret: potiſſimum id erat ſuorum votorum precúmque argumentum. Aliquot annis antequam morti pro fide catholica traderetur, vni Sociorum dicebat, nullum ſibi Martyrij genus conuenientius videri, quàm ſi inter oſandum ſclopo peteretur; id an præſagus dixerit, an voto ipſius Deus annuerit, pronunciare non eſt meum.

Cùm ſermonem haberet de Martyrio in Palatio illuſtriſſimæ Dominæ, quæ poſtmodum illius oſſa tanto ſtudio ab Hæreticorum poteſtate vindicauit, in hæc verba quodam amoris impetu prorupit. *Fortunata mihi nimiùm illa manus quâ ſum feriendus!* Nobilis vir illum

Albenaci conuenerat, & in ioco cùm breuiorem ſclopum pectori admouiſſet, *Parcius*, inquit Saleſius, *illa, mi domine, quid ſi exploſio ab incauto & nolente fieret? Meticuloſus es vt video, mi Pater*, reſpondit ille. *Enimuero timeo à Catholico*, ſubiicit Pater, *nam ſi foret Hæreticus, ageretúrque Dei cauſa, næ ego adeò non reformido, vt vehementer id appetam & quantocyus.* Alteri Nobili alióque tempore ſimiliter cum Patre ludenti, ſubridens Pater: *Non*, inquit, *à te, ſed ab Hæretico ictu ſclopi petar.*

De Albenacenſi profectione monitus pleriſque non ſemel edixit futurum, vt ibi Martyrio donaretur. Mirum viſum eſt quod Iudici Regio vrbis Valentiæ in Delphinatu pronuntiauit anno antequam Albenacum mitteretur; cùm enim per quadrageſimam ibi

concionaretur, nec optatos fructus referret in Vrbe quæ dogmatibus hæreticis magnam partem ſtuderet; prædicto Iudici aſſeruit, vberiores ſe anno proximo manipulos Albenaci collecturum, quàm illic feciſſet: cùm tamen de futura illa Miſſione nulla dum mentio fuiſſet illata. Ad hæc Iudex credens iam monitum Patrem in annum ſequentem vt Albenaci concionaretur: Caue, inquit Pater, ea eſt enim temporum calamitas, vt ibi magnum vitæ diſcrimen ſis aditurus. Verùm non tam deterruit optantem pro Chriſto mori quàm ſtimulos addidit. Denique paucis diebus antequam ab Hæreticis in odium fidei mactaretur, ſcribens Albenaco ad Patrem Rectorem Turnonenſem, ita diſtinctè futuræ mortis capita perſequutus eſt

illud Pſalmi ſubiungens, *Benedictus dominus Deus qui docet manus meas ad prælium, & digitos meos ad bellum*, vt Rector haud ambiguus ſociis affirmaret, Patrem Saleſium Martyrem futurum. Hæc ipſe de ſe vaticinatus eſt Saleſius.

Verùm non minùs verax & futuri certus viſus eſt, cùm Nobili cuidam hæretico à quo duriter habitus, virgíſque dignos Ieſuitas veluti Reipublicæ perturbatores clamitanti (appoſitè ſcilicet ad locum, in atrio enim literario Collegij Turnonenſis hæc effutiebat) ſuggeſſit, vt mitiùs modeſtiúſque ageret, viderétque ne ante annum elapſum ipſe à Deo in tergo cæderetur. Nec vanæ minæ, nondum annus abierat cùm globus excuſſus Aquis Sextiis quas Dux Eſpernonius obſidebat, Nobili

prædicto penes Ducem luſitanti poſticam corporis partem qua ſedebat atque vnà vitam abſtulit. Quod genus mortis cùm ad Comitem Turnonium delatum fuiſſet, illi ſubitò in mentem venit editæ coram ipſo multíſque aliis Nobilibus à Patre Saleſio vaticinationis. Hæc pæne ſunt quæ de Saleſio comperta fuere, qui iis laudibus floruit, vt tam glorioſâ támque à ſe deſideratâ morte dignus omnino videretur. Nunc verò antequam vlteriùs progrediar, par eſt vt de victoriæ ac nobilis triumphi Socio pauca perſtringam.

CAPVT XIV.

Guillelmi Saltamochij genus ac virtus.

HIc, vt initio dictum eſt, natus in oppido cui à Sancto Germano *an l'Her* eſt nomen, parentibus Antonio Saltamochio Mercatore & Margarita Counonia, in Societatem adlectus eſt annum agens ætatis vigeſimum ſextum. Pariſiis primùm, Muſſiponti, Lugduni, Turnone denique virtutis eximiæ odorem aſpirauit; vbique morum innocentiâ & pietate pro Angelo habitus, antiquæ ſimplicitatis vir eiúſque animi candoris, quo ſibi omnium voluntates facilè deuinciret; obedientiæ imprimis ſtudio clarus, quam per duodecim annos vitæ religioſæ ſic

coluit, vt eius partes omnes ſemper expleuiſſe viſus ſit. Vnum dumtaxat proprio ſanguine conſignatum monumentum hîc afferre placet, quo glorioſæ morti præluſit, in qua obedientiæ causâ totum ſparſit illius amore qui factus eſt obediens vſque ad mortem, mortem autem crucis. Dum Muſſiponti ianuæ præeſſet in Conuictorum contubernio præſcriptum illi fuerat, ne quemquam ex Conuictoribus exire permitteret, Germano itaque ac nobili adoleſcenti cùm egreſſum è domo negaſſet, alter, qui iuuenem foris opperiebatur, id conſpicatus Guillelmum furibundus adoritur, pugnis calcibúſque contundit, capulo demum gladij rabioſè petens multis vulneribus inflictis cruentatum relinquit. Guillelmus interea non

iniuriam queritur illatam, neque minis petulantiam reprimere aliquo modo ſatagit, ſed inter verbera tranquillo animo quaſi nihil ad ſe attineret, obedientiæ ſolum nomen prætendit, quâ factum excuſat, id nempe ſibi à Superioribus iniunctum fuiſſe, à quorum mandatis ſibi Religioſo diſcedere nullo modo liceret. Vir obediens loquebatur equidem victorias, ſin minùs iuuenis proteruiæ, ſaltem quod præcipuum erat, ſui ipſius: Vnde ſparſo rei geſtæ per ciuitatem rumore, quantùm damnata eſt meritò ab omnibus iuuenis petulantia, tantùm laudata eſt Guillelmi religioſa virtus ſuíque ipſius in tanta moderatione victoria.

Continuâ illâ ſui ipſius victoriâ compoſitos adeò tenebat affectus, vt miram æquabilitatem animi

præſeferret, quæ ſanè non minùs eſt difficilis in actuoſa vita, cui erat natus, quàm neceſſaria. Hanc ille in Conuictorum Lugdunenſium domo egregiè probauit, dum ibi morbo tentatus, per famulorum ineptiam quibus ægrotantis cura incumbebat, indigniſſimè habitus tacitus diſſimulauit, donec Superiorum vigilantia exercitę ad ſtuporem tolerantiæ prouidit. Cùm neſcio quis alibi ob minùs probatos mores à Societate dimittendus eſſet, honeſtiórque illi pileus pro eo quem geſtabat ſquallido & malè pendulo quæreretur, occurrit fortè Guillelmus noſter, cum illo ſtatim pileorum inuicem fit mutatio, quod ille ſolùm non moleſtè tulit, ſed etiam alacriter; atque hunc demiſſi animi locum contemptor ſui generoſus arripuit,

nec contumeliam in ſe credidit accepiſſe, quòd hominis illius reiectitij tum vilibus, tum prophanis contaminari videretur quiſquiliis. Hiſce domeſticis & quotidianis exercitationibus Athleta noſter ad puluerem Albenacenſem ſe præparabat, vbi poſtmodum eam obiit mortem, quæ tali & tam ſanctæ vitæ reſponderet.

CAPVT XV.

Quæ poſt vtriuſque obitum contigerunt.

Γενναίους τῆς εὐσεβείας ἀθλητάς S. Chryſoſt. ſerm. 35. in Aſcenſione Domini in æde Martyrum Romanenſi habito, quorũ cor-

GENEROSOS pietatis ac religionis Athletas noſtros in horti angulo ſepultos reliquimus, impiis Hæreticorum obſcænitatibus expoſitos. Verùm antequam ſeorſim repoſitas videamus margaritas in Ruaci ſacellum tranſla-

tas, (quando à lupis ſunt liberatæ oues & à pientiſſima Domina ab Hæreticorum poteſtate ſunt vindicatæ, licèt eorum reliquiæ nihil paterentur ex loco in quo erant reconditæ, quorum animæ in manu Dei erant) narrationis ordo poſtulat, vt recenſeamus quid zelus & pietas Catholicorum præſtiterit erga eos quos iam tum colebat vt Martyres.

Turnonius Dynaſta vt primùm reſciuit occupatum à Sectariis Albenacum, literas dedit ad Chambaudum rebellium caput, rogans vt beneficij maximi loco Patres Societatis IESV, qui Albenaci concionabantur, erántque ſui Collegij membra chariſſima, ad ſe remitteret, fore vt parem illi gratiam referret; aut certè ita in ſuam clientelam admitteret, vt à mili-

pora prope hæreticorum cadauera condita erant, ὅτε καθ' ἑαυτοὶς οἱ μαργαρεῖται, ὅτε ἀπηλλάγη τῶν λύκων τὰ πρόβατα· ὧν γὰρ ἡ ψυχὴ ἐν τῇ χειρὶ τοῦ Θεοῦ, οὐδὲν τὰ λείψανα ἀπὸ τῆς θέσεως πάσχει.

tum importunitate nihil damni aut iniuriæ acciperent. Ad hæc negauit perfidè Chambaudus, ſe quidquam accepiſſe de iis quos ſuæ fidei tam intimè commendabat, futurum alioquin vt ipſos ſaluos atque incolumes remitteret. Exarſit iracundiâ & ſtomacho ad hoc fraudulentum mendáxque reſponſum Comes Turnonius, atque ita indignè tulit, ſicut & Catholici omnes, illatam ſeruis Dei necem, vt quæcumque tandem poſtmodum pacis aut induciarum pactæ fuerint cum Hæreticis conditiones, de nefaria Ieſuitarum cæde pro facinoris atrocitate ſemper nominatim cauerint.

In Collegijs, & domibus Societatis nuntius allatus glorioſæ illorum mortis lætitiam omnibus pariter attulit, atque ſimilis exitus arden-

ardentiſſimum deſiderium, paſſim laudes Regi Martyrum tributæ, Hymno *Te Deum*, pio quodam impetu decantato; & ſacrificia ſanctiſſimæ Trinitati oblata in gratiarum actionem, eorum loco quæ ad ſubleuandas Sociorum animas celebrari conſueuerunt, cùm nulla de Martyrij veritate dubitandi ratio illis occurreret. Qua in re ſine dubio cautiores erant futuri, ſi quæ poſt multos annos edita ſunt decreta præſentire animo potuiſſent.

Quarto pòſt die, vndecima nempe Februarij 1593. mandato illuſtriſſimi du Fayn Prouinciæ illius Syndici, accedente Regiarum cauſarum cognitoris poſtulatione, Dominus Ludouicus Chalendar iure dicundo Regis Legatus primarius in tractu Viuarienſi, & Petrus

Trencand Tribunus capitalis Caſtrenſis in eadem prouincia, Burgi Sancti Andeoli iuridicam inquiſitionem inſtituunt de cædibus, deprædationibus, vrbium expugnationibus, fidei publicæ violationibus ab Hæreticis factis, & nominatim de nefaria Saleſij eiúſque ſocij cæde. Quæ inquiſitio illorum iuſſu in vrbe Argentaria, vndecimo Aprilis, vigeſimo-quarto Maij, & ſexto Iulij eiuſdem anni, teſtibus interrogatis eſt procurata; qui pro teſtimonio dixerunt Societatis Religioſos in odium fidei ſeptimo Februarij, alterâ poſt meridiem horâ, poſt bidui fere captiuitatem, & longas de rebus in fide controuerſis diſceptationes, crudeliter in via publica mactatos eſſe. Quibus deinde inquiſitionum tabulis ab

illuſtriſſimo & Reuerendiſſimo Domino de Hoſpitio eius diœceſis Epiſcopo examinatis : pro ea, quam ipſemet habere ſe profitetur, rei geſtæ certa notitia, vt minimè dubias & legitimè factas authoritate publicâ confirmare atque ſancire voluit, tertio Cal. Nouemb. an. *1606.*

Ægerrime ſanè ferebant Catholici Albenacenſes, ſacra illa Patris Saleſij & Saltamochij corpora in loco prophano iacere, & ab hæretica impietate de induſtria in odium religionis magis magíſque pollui; omnéſque vias tentabant, vt illinc extracta in loco aliquo religioſo collocarent. ſed irritos conatus omnes reddebat conſcelerata & aſſidua in ſacrorum omnium ruinam Caluiniſtarum vigilantia. Incumbebat in il-

lud pium opus præcipuè nobiliſſimæ & pientiſſimæ Dominæ de Chauſſy religioſa cura, quæ Lucinas & Praxedes Romanas imitata, per duos annos nihil non mouit, vt Martyrum ſacra lipſana (ſic enim appellabat) eo loco reponeret, vbi meritis honoribus donarentur. Partem attexo epiſtolæ, quam de hoc negotio dedit ad Patres Societatis Collegij Turnonenſis. *Admiranda*, inquit, *patientia & conſtantia in morte crudeliſsima generoſè perferenda, quæ ſolo Martyrij nomine definiri poteſt, alterum fuit incitamentum, quo mirum quantum, ſpatio circiter duorum annorum, ad beata illa corpora recuperanda incenſam me fuiſſe non diffiteor. Erant toto illo tempore Albenaci duo viri probatiſſimæ vitæ & religionis catholicæ zelo inſignes, quique à nutu meo pendebant. Horum alter Mi-*

chaël Rochier vocabatur ; alter verò Ponchut faber lignarius : ambo Ciues Albenacenſes, quíque bonos illos Patres humi mandarant, totíque erant in captanda occaſione illa ex occulto ſubducendi vt ad me deferrent. Verùm cùm ſepulta eſſent in horto Dom. de Ioran, vbi excubiarum ſtatio fuerat ab Hæreticis conſtituta: fieri non poterat quin deprehenderentur in meditato religioſo furto. (Hîc breuiter attingam quæ dictus Rochier ſæpius mihi ſignificauit, milites nempe hîc vigilias agentes, quoties ſpurcè agerent, Martyrum ſepulchra adire, & illic contumeliarum aculeos in Martyres emittere conſueuiſſe.) Vt diu probaui conſilium illud ex animi mei ſententia non ſuccedere, aliam mihi ſuggeſſit viam votis meis potiendi ardor. Ad Regentem Albenacenſem, atque ad Dominum de Chambaud hac in regione caput hæreticorum, & tunc temporis Albenaci degentem ſupplices de-

di literas, vtrumque obteſtata ne hanc mihi gratiam denegarent, quæ nihil omnino ſuis rebus officeret, meis verò maximè conferret: liceret nimirum per illos vt illi boni Patres, quos ego dum viuerent tantopere colueram, vltimi officij loco, quod illis perſoluere cuperem, in mea Ruantij Capella ſepelirentur. Poſtulationi meæ conceſſere ambo, vetuítque Dominus Chambaudus ne quis homines, quos ego tollendis corporibus ſubmiſeram, impedire tentaret. Ipſemet qui mandarat humi, nomine Ponchutus, illa extulit, apprime loci memor vbi corpus Beati Patris (ſic loquitur) condiderat. Dicebat enim ſe, dum illa ſepeliret, obſeruaſſe Patris brachium ſiniſtrum cauterij plaga inuſtum, in qua globulus argenteus latebat. Hinc habui pro certo Ponchutum in Patre à Socio diſtinguendo non aberraſſe, cùm nulli alij præter illos in hoc horto ſepulti eſſent, quorum corpora huc ad

me delata ſunt. Hactenus illuſtriſſimæ Dominæ literæ.

Quæ omnia Patri Odo Giſſey, qui vitam vtriuſque tunc conſcribebat, fuſiùs & diſtinctiùs ipſamet enarrauit, ex cuius ore excepta ſic refert. Venerat Ruacum ad palatium prædictæ Dominæ Regens Albenacenſis, Caluiniſta inſignis. huic ſupplicauit illa vt negotij maximi momenti, quod ipſi eſſet cum Domino Chambaudo, patrociniũ ſuſcipere vellet: recepit ille ſe omni ope atque opera effecturum, vti votorum compos fieret. Reuerſus igitur Albenacum, Chambaudum adit, ad quem tunc nuntius opportunè literas dederat Dominæ de Chauſſy: quare fidem ſuam liberat Regens, & Chambaudo ſignificat promiſiſſe ſe ipſi ſupplicaturum vt concedere dictæ

Dominæ ſupplicationi dignaretur. Ad hæc lectis literis Chambaudus mirabundus exclamat, Neſcis quid à me petat! cui Regens: Quidquid tandem ſit quod illa poſtulat, quàm maximo ſtudio poſſum te rogo ne repulſam ferat. Efflagitat, inquit Chambaudus, Ieſuitarum cadauera; fatendum omnino eſt nos à Catholicis in ſuis religionibus obſeruandis longè ſuperari. Eodem itaque veſtigio loci ac temporis imperat vt è ſepulcro effoſſa Ieſuitarum cadauera traderentur iis quibus ab ea pia fœmina id curæ datum. Tunc ſine mora idem ipſe qui mortuos affecerat ſepultura, eos è terra eruit: & ſeparatim linteo inuolutos, nocte imminente, in domum Catholici viri transfert, vnde in alias atque alias Catholicorum domos per totam no-

ctem traducere neceſſe fuit, Hæreticis militibus ſpreto ſui ducis imperio ſacra illa lipſana ab ipſis diſſipanda ſtudioſè quærentibus. Verùm ſceleſtos illorum conatus prouida Catholicorum pietas atque induſtria inanes reddidit. Illuceſcente die, reſolutis Hæreticorum tenebricoſis conſiliis, pretioſa Martyrum oſſa Albenaco educta Ruacum exportantur in ſacram ædem Dominorum de Chauſſy.

Hîc ſe Cleri pietas in honorandis illis ſacris pignoribus mirum quantum probauit: quamplurimi enim ex ſacro illo ordine ab Vſſellenſi parochia hymnos concinentes, Ruacum vſque illa ſunt comitati, obuiam interim venientibus ex tota vicinia ſupplicantium more populis, Martyres cum maximo pietatis ſenſu veneraturis. Inde

rurſum poſt alterum circiter biennium, pari celebritate, Auenionem ad Collegium Societatis Iesv delata; hinc poſtmodum in varias Societatis domos, imò & varias orbis regiones, etiam in Indias, ſunt diſtracta, multorum ſolatio atque emolumento: quorum tamen partes inſigniores Romana Profeſſorum domus, Auenionenſe, Turnonenſe atque Albenacenſe Collegia nunc poſſident: quæ in vita à Patre Odo Giſſey Gallicè conſcripta nominatim recenſentur.

Cæterum hîc præterire non poſſum illuſtre Em^mi^ Dom. Cardinalis Ioyoſæi teſtimonium de reliquiis ſeruorum Dei ab illuſtriſſima Domina de Chauſſy Auenionem ad ipſum tranſmiſſis. ſic enim ſcribit datis Auenione literis 15. Auguſti anni 1615. ad dictam Domi-

nam de Chauſſy : *Pro reliquiis boni Patris Saleſij ad me miſſis ingentes tibi gratias ago. Munus quippe illud eo mihi gratius accidit, quòd illas eſſe ducam inſignis Dei Martyris.*

CAPVT XVI.

Nonnullæ gratiæ à Deo conceſſæ Martyrum beneficio, aliáque prodigio ſimilia.

QVo tempore Martyres à Sectariis captiui tenebantur, hauſtum aquæ ſibi exhiberi petierunt, quò vinum priùs ſibi allatum temperarent: cúmque id obtinere non potuiſſent; *Hæc nobis* (inquit Saleſius) *deneganda non erat gratia, quandoquidem liberalitas diuina tantam pluuialis aquæ vim per eos dies conceſſerat.* Cùm ecce tibi eâ ipſâ hebdo-

madâ tanta in omnibus vrbis ciſternis aquæ fuit penuria (Albenacum enim in alto montis poſitum pluuialibus aquis dumtaxat vtitur) vt vino carnes coquere fuerint coacti; quod prodigio ſimile viſum eſt in pœnam aquæ Martyribus negatæ. aliàs enim ad multum tempus aqua illa pluuia ciſternis collecta ſufficere debuiſſet.

Ea ipſa nocte quæ cædem Martyrum excepit, in Patris Saleſij natali cubiculo, in oppido Leſouæ Lemanæ Aruerniæ admirabilis quidam ſplendor effulſit, quem horæ vnius ſpatio & ampliùs perſeueraſſe aſſeuerarunt ij qui ſumma cum voluptate illum oculis vſurparunt.

Quadriennio poſt illorum mortem, cùm Auenionem magnâ pompâ delata ſunt ſacra eorumdem

oſſa puriſſimis & ſelectiſſimi generis pannis lineis inuoluta, inuentus fuit vnus inter alios ſanguinei coloris certis in locis dilutioris: quod miraculo ſimile viſum eſt omnibus, cùm ſicca omnino eſſent illa oſſa, nec conſtaret vnde tandem color ille oriri potuiſſet. Quare vt pietati multorum ſatisfieret, tributus eſt ille pannus in varias partes, quarum vnam ſe aſſeruare Pater Odo Giſſey aſſerit, dum vitam Martyrum ſcriberet. Præterea in cranio Guillelmi Saltamochij extabat adhuc cerebri pars nullo modo exſiccata, nec corrupta: quæ tamen nullum grauem reddebat odorem, imò potiùs ſuauem.

Inſignem illam pietatem illuſtriſſimæ Dominæ de Chauſſy erga hos Martyres multis diuina boni-

tas cumulauit beneficiis. Cùm illa circa annum 1620. domeſticæ rei vacaret in quadam palatij parte, annoſa ingénſque trabs loco ſuo mota è tabulato ſuperiori, ceruicem ipſius rectà petebat : cùm ecce tibi penſilis hæret ex ea parte cui ſuperpoſita erat prægrandis arca nucea, variâ ſupellectile referta, vbi etiam aliqua Patris Saleſij, & Guillelmi Saltamochij oſſa aliqua recondita ſeruabantur ; quæ arca etiam eodem ſubſtitit modo. Cuius miraculi Patres Societatis Albenaco aduocatos illa ſpectatores & teſtes in honorem Martyrum eſſe voluit. Vterum cùm gereret, fœtum Patri Saleſio deuouit, Iacobum ex eius nomine appellatura ſi marem ederet. edidit marem, Iacobum appellauit : quem, dum vixit, non ſemel Saleſius (cuius

ſemper aliquas ſecum reliquias ferebat) in ſummis periculis, præcipuè in bello Hæreticorum contra Catholicos, ſuo præſidio communiuit.

Philippus Daudan ſeptuagenarius Agricola loci de Ruans in prouincia Viuarienſi, vigeſimo ſecundo Octob. anni 1622. ex alta turri in terram prolapſus, atque adeò toto corpore obtritus, opem Martyrum implorauit, voto illis nũcupato: nec fruſtrà: intra breue tempus potuit membra priùs fracta mouere, lectóque aſſidere, triduóque pòſt ſurgere, vitâ & ſalute illi reſtitutâ quam omnes deſperatam habebãt.

Difficultate maximâ reſpirandi laborabat Saleſius dum viueret: poſt glorioſam mortem hoc morbo laborantibus religiosè inuocatus propitiam tulit opem.

Hanc probauit prædicta Domina de Chauſſy, hoc morbo laborans; hanc plurimi alij, reliquias Martyris ab ipſa in hunc finem efflagitantes. Inter alios aſthmate illo grauiſſimè afflictatus ſacri Ordinis Sancti Benedicti Religioſus, oſſiculo Martyris impoſito pectori, quod à prædicta Domina impetrauerat, præſentiſſimum intolerabili morbo expertus eſt remedium. Sic plurimi Sancti iam in cælo Beati, ex gratia peculiari à Deo illis conceſſa leuamen afferre ſolent ipſorum auxilium ſuppliciter implorantibus, qui iiſdem morbis doloribúſque premuntur, quos illi, dum in terris degerent, generosè ad Dei gloriam pertulerunt.

Longè plura huius generis quæ ad noſtrorum Martyrum ſanctitatem ac gloriam, qua in cælis fruuntur

tur, aſſerendam faciunt, hîc poſſent adduci ſi propoſitæ breuitatis pateretur inſtitutum. Non poſſum tamen omittere amplum teſtimonium ex Dæmonum ore petitum: & quamuis fides adhiberi non debeat iis, quæ mendaciorum pater & architectus motu proprio dicit; habent tamen fidem quæ diuino iuſſu ad Sanctorum gloriam confirmandam fateri cogitur, cúmque illius teſtimonium Sanctorum meritis congruit, aliíſque manifeſtis certíſque argumentis ſtabilitur.

Energumena Bruxellis 5. Iulij anni 1622. à Dæmonum poteſtate liberata, miris modis per octodecim annos à malignis illis ſpiritibus fuerat vexata. Dum Eccleſiaſtici exorciſmi Dæmoni aliquando intentarentur, adfuit fortè vnus è

Societate Iesv Sacerdos, qui cùm libellum manu Saleſij exaratum produxiſſet, inconditis ſubitò frementibúſque clamoribus implere locum Cacodæmon, furere, bacchari. Clamoris illius immenſi cauſam ſciſcitatur Pater: Vror, cremor, ſubiicit ille. Ecquid igitur (ſubiicit Pater) agnoſciſne hunc libellum? Probè noui, probè noui, clamat ille. Ad hæc Pater, Scis equidem hunc libellum ab hoſte meo infenſiſſimo ſcriptum fuiſſe? Non ita ſe res habet, exclamat Dæmon, amicus tuus illum ſcripſit. Scis itaque, ait Pater, authorem libri lectulo ſuo affixum quietam obiiſſe mortem? Negat ille contenta voce, Alio prorſus mortis genere ſublatus eſt. Pergit interrogare Pater, Tui fortè amici necem illi intulerunt? Ita eſt, ita eſt, inquit

ille, amici mei illum necarunt. Tum Pater, Vbinam eſt mortuus, nónne Lugduni? Nequaquam, nequaquam, reſpondit ille, Albenaci mortuus eſt. Gaudeo, ſubiicit Pater, hæc tibi perſpecta eſſe? Non ego, non ego, intonat Dæmon; vror, cremor. Illuſtre hoc teſtimonium Saleſij ſanctitati Deus à Dæmone coacto tribui voluit in Flandria trecentis & ampliùs milliaribus Italicis Albenaco diſtante, anníſque triginta poſt beatam & glorioſam illius mortem: cum quo finem facio, ſuppliciter à SS. illis Martyribus flagitans, vt eum per quem celebratus vterque, apud Deum velint eſſe commendatiſſimum.

FINIS.

PROTESTATIO.

CVM *Sanctiſſimus Dominus Vrbanus VIII. decreuerit vt non admittantur Elogia Sancti vel Beati abſolutè & quæ cadunt ſuper perſonam; bene tamen ea quæ cadunt ſupra mores & opinionem, cum proteſtatione in principio, quòd iis nulla adſit authoritas ab Eccleſia Romana, ſed fides tantùm ſit penes authorem. Huic decreto ea qua par eſt obſeruantia & reuerentia inſiſtendo, profiteor me haud alio ſenſu accipere aut accipi ab vllo velle, quidquid in hac vita refero, quàm quo ea ſolent quæ humanâ dumtaxat authoritate, non autem diuinâ Catholicæ Romanæ Eccleſiæ, aut Sanctæ Sedis Apoſtolicæ nituntur.*

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

BIBLIOTECA
Digitized by Google